

Ms

dominica

in octava

pascche tit

14 III



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN;
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

DL 7^o

ΕΥΧΗ ΣΥΓΧΑΡΙΣΤΙΚΗ,

Honori summæ promotionis

CLARISSIMI VIRI,
DOCTRINÆ ERVDITI-
one, humanitate, ac virtute ornatissi-
mi, Dn. IOSEPHI STVBENDORFII
HALENSIS, cùm in inclyta VVite-
bergensium Academia, XI v. Calend.
Martij, renunciatione in templo
arcis publica, artis Medicæ
Doctor declararetur:

Scripta à

IACOBO ISEBERGIO, IUNIORE,
φιλίας καὶ μνημοσύνης ἕνεκα.

Anno χριστογονίας CIΩ. ΙΩ. XIIV C.

VVITEBERGAE

Ex typographia Simonis Gronenbergḡ.

M. D. LXXVII.



CLARISSIMI VIRI
DOCTORUM BRVDITII

de Mathematicis et Astronomicis
liber primus
de Astronomia
de Mathematicis

INGENIO ASTRONOMICI BRVDITII
LIBER PRIMUS
DE ASTRONOMIA

BRVDITII
DE ASTRONOMIA



ΕΠΟΣ ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΝ

DE DIGNITATE ET PRÆ-
STANTIA INGENVARVM ARTIVM,
inprimis verò, artis Medicæ.

EST Medicina DEI, vita mortisq; potentis,
Inuentum: Hic Medica prorogat artis opus.
Fragrantes flores è terra procreat ipse
Natura Genitor, pro bonitate sua.
Abstrusas plantis diuina potentia vires
Indidit, hinc agris pharmacon esse solent.
Hinc vis herbarum, radicum, vsusq; medendi,
Quas fert è gremio terra benigna suo.
Hinc est, quod tradunt, animam Rhabarbaron esse
Hepatis: arcanò hinc cor Libanotis amat.
Inde Machaonia ars nitidum caput extulit, illas
Natura inquirens omniparentis opes.
Scrutando & causas morbi, medicamina monstrat,
Quæ tollant illas, corpora & ægra iuuent.
Hanc ergò nemo sapientum respuat artem,
Siracides fido pectore & ore monet.
Quin magè, barbaries docta ne tecta Minerva
Occupet, auctorem spernat & usq; DEVM,
Hanc artem Medicam foueat pro parte virili
Quilibet, hanc proprio Marte suo, arte iuuet.

A 2 Artibus

2) rümmor
Alium.

Artibus ingenuis præsentibus excolat acre
Pectus, quas vulgi temnere turba solet.
Hac sine honore licet sint tempestate Camæna,
Nullus honos nec eis, sed modò restet onus:
Sacra tamen pueros Musarum scandere prata
Adiuuat, & Clario fonte leuare sitim.
Incluta dona DEI sunt (fas est vera fateri)
Artes, quas adeò secula nostra premunt.
Has Deus, ipse Deus dedit, has non temnere tutum
Quis furor ista boni spernere dona DEI? (est,
Pulvere barbarico rursus si mersa iacebunt,
Caligo studii quanta futura breui?
Hei quantum, at frustra, tibi dira calumnia sumis.
Dum studia hæc odio, non odiosa, premis?
Callida & ignaro iactas mendacia vulgo,
A vera quæuis quod mouet aura via.
Sunt Artes vitæ nerui fontesq; caducæ,
Quæ sine nil veri vitæ decoris habet.
Educat en per eas sibi sacra Ecclesia plantas,
Quæ rectè possint verba secare DEI.
Sola sacri fontis reserat Dialectica sedem,
Biblia & hæc sunt lucidiora magis.
Quippe vigent per eas sinuosa volumina Legum,
Nulla, quibus demtis, oppida tuta forent.
Prætereo

Prætereo reliquas, hinc ne morer amplius æquo,
Linguas, quas odio nunc rude vulgus habet.
Ad propiora feror: Sophia digressus in hortos,
Castalidum Medicus plurima curat ope.
Artibus elicitur perceptis abdita virtus,
Quam primum plantis indidit ipse DEVS.
Scire potestates fruticum, florumq̃, potentes,
Inde locum adfectum mente sagace, licet.
Hinc liquidò constat rerum cognoscere causas,
Naturæ scrutans interioris opes.
Certè & ad arcendos facit hæc speculatio morbos,
Sanus uti possis vivere ritè docens.
Quid moror? Aonidum quisquis sacra Numina sus-
Flammiferum Phœbi tollit ab orbe iubar. (fert,
Sunt Artes in honore, absit lingua invida vero;
Semper erunt, albus dum vehet Albis aquas.
Pegasidum Proceres, nec non generosa Jumentus,
Plus oculis vestris dona adamate DEI.
Non Heliconiadum concedite castra perire,
Tela ea sunt, verbum quæis tueare DEI.
Artes ipse DEVS, de quo ceu fonte perenni
Omnia promanant, ex bonitate dedit:
Quas Tu, communis præceptor in arte MELANTHON,
(Quod clarè ostendunt scripta, PHILIPPE, tua)
A 3 E La-

E Labyrinthæis spinis nodisq; Sophorum
Ingenii euoluis Marte tui, arte tua.
Præstat & inter aues ut Luscinia arte canendi:
Voce tua extollis sic PHILOMELA caput.
Hoc decus inuideat quamuis tibi durior alas,
Scripta tua extincta & funditus esse velit:
At tamen & uiuent & erunt tua scripta, PHILIPPE.
Usq; per ora virum ut docta volare queant.
Castaliis Tu quippe scholis es portus & aura,
Te merito Musæ cur venerentur habent.
Sed quò de labor? pectus mollire per artes
Palladias iuuat, hinc gloria, fama, fluunt.
Pegasidum qui sacra colunt delubra, colentes
Condecorat Charitum Pieridumq; chorus.
Pergrauè principium est, fateor, sed suaue laborum
Præmium, & hinc fructus mollia labra rigans.
Hac IOSEPHÆ via cum sis digressus in hortum
Chloridos, Aonii numina fontis amans.
Quin & non curans peruersi scommata mundi,
Qui velut Arcadicus plurima vastat aper,
Officii memor excoluisti ardore Camænas,
Ante pedes patrios dum graderè puer.
Et nullo piguit, primo sub flore Iuuenta,
Sæua Heliconiadum tempore castra sequi.

Illis

Illis excultus, doctorum scripta virorum
Rimatus studio es nocte dieq; tuo:
Qua monstrant hominis partes, Artemq; medendi.
Qua radix profit, quaq; sit herba nocens.
Tum pede non trepido; Medicina impulsus amore,
Natura pereant ne bona tanta tua;
Non tantum arua peragrasti, qua spumifer Albis
Alluit: Albiacæ quanta Lycea schola?
Omnibus ex regnis, regionibus, urbibus ingens
Confluit huc doctas turba secuta Deas:
Atqui etiam ignotas urbes & regna petebas,
Ut foret Aoniis fertile pectus aquis.
Non te terrebant glacialis frigoris æstus,
Aut casus varii, aut tædia longa via.
Atria Musarum es sectatus Apolline fausto,
Qua procul à patria sede remota iacent.
En quàm felici sis sidere, & omine lato,
In patriam quanta laude reuersus humum?
An non Pæonias nōsti perfectiūs herbas,
Nominibus propriis quasq; vocare suis?
Ipse valetudo qua sit reparabilis arte,
Ægris corporibus qua noceantq; tenes.
Ipse potestates fruticum miraris, ut inde
Artificem videas pectore ouante DEVM.

A 4 Eloquentiar



Eloquar, an sileam? morborum cernere fontes
Ex signis proprio Marte, tua arte potes.
Hanc artem auspiciis Coi, ductuq; Galeni,
Calles, quam clarè scripta vetusta docent.
Assidue illorum monimenta diserta secutus,
Hinc quæ sint medicis vsibus apta legis.
Hanc olim coluit, fuit hac insignis Apollo
Arte, hominum columen, spesq; salutis erat.
Hac fuit & felix Epidaurius, atq; Machaon,
Clarus in hac Chiron, inclytus Æacides.
Hac etiam illustris Pæon fuit, atq; Galenus,
Ante alios istam calluit Hippocrates.
Hanc didicit Podalirius, & Tyrinthius Heros,
Innumeri ingenio & nobiliore viri.
Hac quoq; qui Phœbi doctis caput artibus effers,
Clare vir, & Clarij gloria clara chori,
Arte Machaonia cum sis clarusq; medendo,
Cognita doctrina & sint documenta tua:
Ergò hodie, post tot curas, tantasq; labores,
Totq; pericla solo, tanta pericla salo,
Artis Pæoniae meritis insignibus auctus
Commendat studium publica fama tuum.
Ac merito, quis enim te præcellentibus auctum,
Dotibus ingenij non adamare velit?

Pro

Pro sudore tuo tibi premia digna rependit
Cynthius: ignavis nulla corona datur.
O iucunda dies, nunc qua Daphneide lauro
Tempora velantur, docte IOSEPHÉ, tua.
O quàm leta dies Eo surgit ab ortu,
Premia quo dantur digna labore tuo.
Quod fuit in fatis, & votis, Fata tulerunt
Votaq; , quæ patula percipit aure DEVS.
Quod cupis, ecce capis, cingit caput infula rubra,
Iam datur in digitos splendida gemma tuos.
Annulus iste tibi meriti sit testis honoris,
Qui premit articulos, Doctor amande, tuos.
En honor, eximium decus est fronti q; , Tiara,
Qua dantur nitidis Laurea ferta comis.
Illa Machaonia meritò debentur ab arte,
Accepti tituli pignora certa novi.
Aspice de digitis puro micat annulus auro,
Fulget Erytraeo ut gemma ea lecta mari:
Sic tua per Doctos rutilabit gloria, fama,
Famam hanc ingenii mors abolere nequit.
Perge modò, veluti cepisti, in munere tanto,
Et sacra Pierii flumina fontis ama.
Hinc vigili studio Spartam, quam nactus es, orna,
Dexter Apollo tibi, crede, vocatus erit.

As

En

En Heliconiades libris gratantur apertis,
Hæc fortunantes Numine cepta suo.
Præmia victor ouans Parnasso è monte reportas,
Ut doceas alios Ius datur ecce tibi.
Sacra sit illa dies, albisq; notanda lapillis,
Quo fundat quisquis vota precesq; DEO.
Festa sit, hæcq; canat lætum tibi turba Nouena,
Gaudeat Aonii tota corona chori.
Februa namq; dies decima hæc cùm sexta rediret,
In Bretta natus, sancte MELANTHON, eras.
O roseis auroa genis insignis, & ortu
Grata: Silent Cauri, mitior aura fauet.
Ergò frequentemus templum, cœtusq; piorum,
Namq; pio ritu hæc nos celebrare decet.
Dicat Jo, læto noua iubila concinat ore,
Omnis Castalio dedita turba choro.
Annua natalis nam Lux est illa PHILIPPI,
Quo non maius habent tempora nostra decus:
Quem licet hæud uno proscindat crimine Liuor:
Attamen in celo dona laboris habet.
Hic nisi productus vitales esset in auras,
Ecquis Gorgoneis ora lauasset aquis.
Ipse Aganippeos cupide sudauit ad amnes:
Tradidit Hic purè dogmata sacra DEI.

Iccir-

Iccircò memor his solue illi è pectore grates,
Pro pietate bono dic bona verba viro.
Ambas quin etiam tendens ad sidera palmas,
In pia non cesses vota vocare DEVM.
Annuat ut nostris ceptis placido undiq; vultu,
Det vera VERBI cognitione frui.
Excubias & pastor agat, ne turba Luporum,
Irruat in cœtum sanguinolenta pium.
Atq; sui verbi medicamine vulnera curet,
Tot quibus oppressa conficiuntur oues.
Nobile conseruet, penitusq; immobile Verbum,
Hospitia & Musis, det loca tuta piis.
Protegat atq; suam turbatam in turbine turbam,
Tuta sit in medio paruula Cymba freto.
A te gnate DeI solo serVa MVr, & In te,
Propterea Ipse tVa tV bonitate IVVa.
Carmine sed tenui hac quid ego verbosa reuoluo?
Festiuos cantus desine rauca Lyra.
Quod superest, quæ nunc insignia donat Apollo,
Quæ tibi Pegasidum donat amica manus;
Hæ voluere comas rubeo decorare Galero,
Ut quoque in HALENSI notior urbe fores;
Ob titulum, eximios & qui tribuuntur honores,
Gratulor ergo tibi, prospera cuncta precans.

Te

Te DEVS, ipse DEVS, qui regnat Trinus & Vnus,
Seruet, & inceptis annual usq; tuis.
Te cum BRUNNRO, sine tempestate malorum,
Ut patriæ possis consuluisse, tegat.
Arte Machaonia hic Doctor, clarusq; medendo,
Phœbea est Medicus plurima doctus ope.
Ecquis enim in nostra vivit Vir notior urbe,
Quem magis attollat candida fama virum?
Eminet HALA, ubi Sala fluit, nam dotibus aucta
Huic est terreni copia larga salis.
Huic peperere salis decus indelebile fontes,
Quos dedit ille bonus, qui regit astra DEVS.



Nh 1235.

oo

f

ULB Halle

3


002 819 279



an 31 nur verknüpft JA → OL
H-J # 40 Stück
F23

VD 17 Ne





XXXIII.

ΕΥΧΗ ΣΥΓΧΑΡΙΣΤΙΚΗ,

Honori summæ promotionis

CLARISSIMI VIRI,
DOCTRINÆ ERVDITI-
one, humanitate, ac virtute ornatissi-
mi, Dn. IOSEPHI STVBENDORFII
HALENSIS, cū in inclyta VVite-
bergensium Academia, XI V. Calend.
Martij, renunciatione in templo
arcis publica, artis Medicæ
Doctor declararetur:

Scripta à

IACOBO ISEBERGIO, IVNIORE,
φιλίας καὶ μνημοσύνης ἕνεκα.

Ἀννο ἑξισογόνιας CIΩ. ΙΩ. XIIII C.

VVITEBERGAE

Ex typographia Simonis Gronenbergij.
M. D. LXX XVII.